

plures; tam in æquali, quam inæquali numero: quod poſte-  
rius tamen eſt convenientius; ut in caſu diſſenſus major pars  
decidit L. 17. §. 6. ff. eod.

XII. Si in plures ſimpliciter ſit compromiſſum, uno eo-  
rum abſente, reliqui procedere nequeunt: quia non videre-  
tur ſervari forma compromiſſi, quæ in plures concepta eſt;  
& ita decidit in L. 18. ff. eod. Idque procedet, licet per legi-  
gitimam citationem, ut addeſſet, interpellatus probetur, ut no-  
tat Faber loco citato Definit. 3. Nam quod dici ſolet, con-  
tumaciam eſſe pro præſentia, tunc verum eſt, cum agitur de  
præiudicio contumacis, non alterius, cui contumaciam alteri-  
us nocere non oportet: ut in propoſita ſpecie: quia ter-  
tius ille abſens potuiſſet forſan, ſi aduiſſet, alios trahere in  
ſuam ſententiam; & quod notandum, noluit compromitte-  
re niſi in tres; & hac forma & non alia compromiſſum à Par-  
tibus conſuſum fuit.

XIII. De Jure Canonico ex ſpeciali Conſtitutione Boni-  
facii VIII. in Cap. 2. De Arbitris in 6. contrarium obtinet  
ut nimirum, ſi unus è tribus arbitris legitime citatus, & ceſ-  
ſante legitimo impedimento abſit, poſſint reliqui duo nego-  
tium examinare & liberè definire, ſicut poſſent eo præſente,  
nec volente cum iis in unam ſententiam concordare; ut ſic ip-  
ſius abſentia præſentia repleta divina, eum reputari faciat pro  
præſente.

Hanc ſuam Conſtitutionem videri contrariam legibus  
haud diſſidetur; ait enim: licet lex civilis aliud innuere  
videatur.

XIV. Hac Juris Canonici Conſtitutione nos uti teſtatur  
Simon à Groenevegen De Legib. abrogat. ad L. 18. ff. De  
Receptis qui arbit. &c. item Simon Van Leeuwen in Cenſu-  
ra Forenſi parte 1. cap. 17. num. 9. citans ibidem Coſtali-  
um ad L. 17. ff. eod. qui tamen de hac inter Jus Civile & Cano-  
nicum diſſerentia hic loquens dicit, „quod in eo genere quæ-  
ſtionis ſumus, in quo jus utrumque in ſuo foro ſervari debeat,  
civile in civili, Canonicum in Canonico, cum talia ſalutem  
animæ non contingant.

Subdit quoque ibidem Coſtalius. „Item quemadmo-  
dum Jure Civili requirimus ut omnes arbitri ſententiæ fe-  
rendæ adſint: idem ſerè dicitur in actis, quæ ad inſtruen-  
dam litem ſunt, ut ea expedire non poſſint, niſi præſenti-  
bus omnibus arbitris: ideo ex tribus arbitris acceptis duo  
non poſſunt recipere teſtes & interrogare, ut curia Pariſien-  
ſis cenſuit.

Illud equidem expeditum apparet, deciſionem Juris Ca-  
nonici non habere locum, ſi in plures compromiſſum ſit,  
non ſimpliciter, ſed adjecta conditione, ut ſimul omnes in  
cognoſcendo & judicando interſint, uti rectè obſervat Tul-  
denus ad Damhouderum in Praxi rerum civil. cap. 212.  
lit. D.

XV. Si in duos ſimpliciter compromiſſum ſit; hique in-  
ter ſe diſſentiant, tacite id actum videtur, ut tertius ab iis eligatur,  
cujus auctoritati pareatur, L. 17. §. 6. ff. eod. At ſi in duos  
compromiſſum ſit hæc addita expreſſa cautio, ut ſi diſſen-  
ſerint, tertium aſſumant, dicit Juriconſultus in citata L. 17.  
§. 5. „Puto tale compromiſſum non valere: nam in aſſumendo  
poſſunt diſſenſure. „At hac Juris Civilis ſubtilitate exploſa,  
hodie contrarium ſervatur; ſuntque hæc compromiſſa uſita-  
tiſſima. Rebuffus loco citato num. 7. item Mornacius ad cita-  
tam L. 17. & Zypæus in Notiâ Juris Belgici tit. De Arbitris  
notat, nihil per mores frequentius, quam ut elegantur duo  
arbitri, & his detur auctoritas aſſumendi tertium non ſuſpe-  
ctum in caſu diſſenſus: quod & probari in Cap. 61. De Ap-  
pellat. rectè ibidem refleſcit Zypæus.

XVI. Solent compromiſſa fieri poenâ interpoſita, ſi arbi-  
trio non obtemperetur L. 11. §. 2. L. 12. §. 13. ff. De Re-  
ceptis &c. Hac autem poena perſolvenda eſt à non obtempe-  
rante Decreto ſeu laudo arbitri, vel comparere nolente coram  
arbitro electo: perinde enim eſt, non pareat quis ſententiæ, an  
ne ea feratur, impediatur L. 2. Cod. De Receptis arbitris, & L.  
27. §. 4. & L. 30. ff. eod.

XVII. Si poena ſimpliciter inferatur compromiſſo, quo

nihil frequentius moribus noſtris, in æſtimandis emptionum  
preiis in arbitrio boni viri collatis, ea perſoluta liberè à com-  
promiſſo receditur: ſecus ſi adjecta ſit cum clauſula, manente  
compromiſſo; quia tunc qui compromiſſo ſtare renuit, in  
poenam incidit, & nihilominus compromiſſo ſtare jubetur;  
Andræas Gail. lib. 1. Obſervat. 150. num. 14.

XVIII. Aliquando etiam interpoſito jurejurando arbitros  
fuſſe aſſumptos conſtat ex L. 4. Cod. eod. illudque vocatur ibi-  
dem ſanctiſſimum arbitrium.

Postmodum autem Juſtinianus in Novella 82. cap. 11.  
„Sancimus de cætero nullum fieri omnino judicem arbitra-  
lem & cum jurisjurandi cautione judicare: Ne (ait) ex  
hoc in perjurium invicem incidant homines propter judi-  
cum ignorantiam pejerare compulſi: ſed omnino qui judi-  
cem aut judices eligant, cum poena eligant eos, quatenus par-  
tes ad invicem coactant, & neceſſitatem habeant aut conten-  
tæ eſſe judicio, aut ſi retractare voluerit alter, det multam,  
& ſi ſilentium habeat diſcedere reus ab iis que judicata ſunt,  
& ad aliud venire auditorium: noſtris judicibus ſi aditi fue-  
rint, exigentibus multam: & iis qui eam juſſi ſunt accipere;  
reſtitui præparantibus.

Hanc Juſtiniani Ordinationem non fuiſſe ubique rece-  
ptam conſtat ex Cap. 2. §. 9. De Arbitris, ubi arbitrio-  
rum cum interpoſito juramento mentio fit; eamque diſtin-  
ctionem inter Jus Civile & Canonicum obſervat Damhou-  
derus cap. 204.

Non deſunt Interpretes, qui docent, eam Juſtiniani Con-  
ſtitutionem de Arbitris tantum, & non de Litigantibus loqui,  
ut monet Zypæus in Jure Novo tit. De Arbitris, additque:  
„Adeoque jurata compromiſſa endes ſunt.

XIX. Arbitri quacumque forma aſſumpti nullam ac-  
cipiunt propriè dictam jurisdictionem, quam privati dare ne-  
queunt; unde nec propriè judices ſunt; ſed compromiſſarii  
privato partium conſenſu, ad eorum controverſias deciden-  
das, aſſumpti. Imò inſpecto Jure Civili, Judices Ordinarii in  
Arbitros aſſumi nequeunt L. 9. §. 2. ff. eod. cui conſonus ap-  
paret articulus 23. Ordinæ Curie Brabantie, qui inhibet  
Conſiliariis ne munus compromiſſi ſuſcipiant cauſarum in Sen-  
nato motarum, aut verofimiliter movendarum ſine conſenſu  
Cancellarii & Senatûs.

XX. Jure Canonico tamen etiam in ipſos Judices compro-  
mitti poſſe conſtat ex Cap. 7. De Arbitris & Cap. 21. De  
Præpendis. Credit Janus à Coſta in Summario tituli De-  
cretalium De Arbitris, hoc de Jure Canonico receptum eſſe,  
quia ipſa Judicia Eccleſiaſtica ceperunt ab Arbitrio, & more  
arbitrorum primùm juſſi ſunt Epilcopi judicare L. 7. Cod. De  
Epilcop. Aud. & ſupra tit. 1. cap. 2. notavimus.

Nonnulli autem credunt, referentè A Coſta ibidem, hanc  
deciſionem Juriſ Canonici occaſionem habuiſſe ex Novella  
86. Juſtiniani: ex qua poteſt Judex eſſe honorarius arbiter vel  
mediator, id eſt, ut loquantur, Arbitrorum & amicabilis com-  
poſitor.

XXI. Quidquid ſit, hoc ſat conſtat, Judices ordinarios poſ-  
ſe ſe interponere, etiam in cauſis coram ſe pendentibus, tam-  
quam mediatores, ut partes ad concordiam inducant.

Quin & ipſos Judices tamquam Arbitratores compro-  
mitti poſſe dicit Anthonius Faber ad Cod. lib. 2. tit. 38. deſi-  
nit. 2. „In Præſides & Senatores non magis (ait) compromit-  
ti poteſt tamquam Arbitros juris quam in quemlibet alium  
Judicem Ordinarium: cum ſint & ipſi Judices Ordinarii.  
„Sed tamquam in Arbitratores, & benevolos, ut vocant  
„compoſitores compromitti haud dubiè poteſt. „Et ita judi-  
catum in Senatu Sabaudie anno 1591.

XXII. Neque enim arbitrator eſt propriè dictus arbi-  
ter, qui more Judicis cauſam diſcutit, & definiit, parte-  
que Judicis ſubit; uti notat ex Coſtaſio Diodorus Tuldenus  
ad titulum Cod. De Receptis Arbitris, additurque, quod qui-  
dem præter compromiſſarium alium arbitrium jus agnoſ-  
cat, ſed qui propriè non eſt arbiter, nec ut talis de lite cog-  
noſcit, verum ad cujus æſtimationem moderationemque  
aliquid in contractibus partes referunt. „Porro (ait Tulde-  
nus)

nus) amicableſ contententium conciliator non deſinit ipſe  
licet, ſed ejus finiendæ conſilium modumque ſuggerit ipſis  
contententibus. Nec nego (pergit Tuldenus) hunc quoque  
arbitrum vocari, ſed nego judicem eſſe, verum proxenetam  
„tranſactionis eſſe affirmo.

Hactenus ex Tuldeno allegata videtur diſertè expreſſa in  
L. 13. §. 2. ff. eod. „Recepiſſe autem arbitrium videtur (ut  
„Pediſ lib. 9. dicit) qui Judicis partes ſuſcepit, finemque ſe  
„ſua ſententia controverſiam aliquam & tranſactionem pollicetur. Quod ſi  
„(inquit) hactenus inter venit, ut experiretur, an conſilio ſuo,  
„vel auctoritate diſcuti litem paterentur, non videtur arbi-  
„trium recepiſſe.

Hic maniſeſtè diſtinguitur à propriè dicto arbitro, qui ſe  
ſimpliciter interponit, ut experiat, an litem finire poſſet;  
qui, uti notat ibidem Dionyſius Gothofredus, arbitrator  
dicitur.

XXIII. Igitur dum judices ſe interponunt, ut ſuggerant,  
proponantque ligantibus media & conſilia concordie, arbi-  
tratores ſeu amicabileſ compoſitores dici poſſunt, non arbitri:  
nec dubium, quin officium Judicis nonnumquam exigat, ut  
concentur partes ad concordiam aliquam & tranſactionem in-  
ducere; uti rectè monet Damhouderus in Praxi Rerum Civil.  
cap. 199. teſtaturque, quod „in ſupremo Mechlinienſi Conci-  
„lio frequenter utantur, ut partes mittant ad Commiſſarios, ut  
„illas audiant cauſas ipſarum coram diſcutiant, & diſputent,  
„& eas ſi quomodo poterunt, amicè concordent. Et ſi eas nul-  
„lo modo concordare poterunt, ſaltem utrique partium ſeor-  
„ſum, & ſerè omnes difficultates cauſarum prudenter ape-  
„rient, ut inter ſpem & metum fluctuantes, perſuaſionibus ci-  
„tius ad concordiam conducantur. Sin pertinaciter ſanis con-  
„ſiliis acquieſcere nolint, rerum eventum & ſententiam futu-  
„ram expectent. Atque hoc præſertim Chriſtiani Judicis officium,  
„quod ſi Judex exequi, & peragere poteſt, ne dicam debet, in  
„quocumque ſtatu res etiam & cauſa conſiſtent, ſi materia  
„difficultatis plurimum continet, & Judicis ſententia pro-  
„nuntianda anceps videatur.

XXIV. Monet autem ibidem num. 3. ut refleſcat Lector  
ad finale clauſulam verbis ſupra relatâ adjectam: Si mate-  
ria difficultatis plurimum continet, & judicii ſententia  
pronuntianda anceps videatur. „Quia (ait) ſi proceſſus  
„in jure concluſus, viſitatus, & diligenter examinatus eſſet,  
„atque ex eo examine Judex certè cognoſceret utrius par-  
„tis cauſa eſſet potior, & juſtior, eo caſu non debet partes  
„ad concordiam inducere, & pertrahere, id enim ſi faceret,  
„alteri parti magis favere videretur, quod ab animo Ju-  
„dicis procul abeſſe convenit, ſed eo caſu debet jus dicere,  
„& juſtitiam æquiori parti adjudicare citra omnem favo-  
„rem & de concordantia apud neutram partem, nec ſemel  
„hiſcere.

„Multa quoque tradit Nicolaus Tuldenus ad cap. 206.  
Damhouderi lit. M. contra judices, qui videntes partem  
unam habere juſtam cauſam, nihilominus eam ad concordiam,  
& aliquid de ſuo jure remittendum incitant, ut vel hoc pacto  
alteri parti favent.

XXV. Hoc non minus reprehendendum, quod judices fre-  
quenter de excitandis partibus ad concordiam non cogitent,  
niſi poſtquam jam omnes penè litis expenſæ factæ ſunt, ipſiſ-  
que nihil amplius ex lite lucrandum ſuperereſt; & quando ob fa-  
ctas expenſas ſerè impoſſibilis, aut admodum difficilis redditur  
concordia. Hoc animadvertiſſe videtur Damhouderus, qui lo-  
co citato num. 4. dat hoc pium omnibus Judicibus monitum:  
„Sed hoc (ait) omnibus Judicibus ex Chriſtiana charitate ve-  
„tentatur, partes per ſe, aut per alios concordatos curent, ſi  
„poſſint, priuſquam ad odioſas, ac voraciſſimas lites deſcen-  
„dant. Id enim facientes, non tantum pii Judicis, ſed etiam veri,  
„ac ſinceri Chriſtiani hominis officium referunt, Apoſtolicam  
„doctrinam ſequuntur, & ad Chriſti Servatoris noſtri, ac pa-  
„cificali exemplum ſe componunt, & id imitatione exprime-  
„curant.

XXVI. Communiter hodie fit, ut partes ſe in unam cam-

demque perſonam ſubmittant, tamquam arbitratorem &  
arbitrum; hoc eſt, ut in cauſis controverſis unus & idem in-  
„duat utramque perſonam, & arbitri arbitroris, ſic ut ſi par-  
„tes conſiliis, rationibus & amicis pacificationibus concordari  
„poterunt, id primò ſcilicet curet; ſin id non valebit, arbitrum  
„agat, & rem omnem juri ordine peragat; ait Damhouderus  
„cap. 204. num. 8. in Praxi Rerum Civil. additurque: „Atque  
„hoc geminum officium arbitratoris & arbitri, in uno mihi  
„videtur admodum laudabile amplectendum.

XXVII. De ſententia arbitri ex compromiſſo Jure perfecto  
aditi appellari non poſſe ſæpe reſcriptum eſt (ait L. 1. De Re-  
ceptis Arbitris: „Quia nec judicati actio inde præſtari po-  
„teſt: & ob hoc ipſum poena invicem promittitur, ut metu  
„ejus à placitis non recedatur. „Et in L. 27. §. 2. ff. eod. „Stari  
„autem debet ſententiæ arbitri quam de re dixit: ſive æqua,  
„ſive iniqua ſit: & ſibi impuget, qui compromiſſit: Nam &  
„Divi Pii reſcripto adjicitur: Vel minus probabilem ſenten-  
„tiam æquo animo ferre debet.

XXVIII. Hinc communi calculo concludunt Interpre-  
tes, de Jure Civili à ſententia arbitri ex libero partium con-  
ſenſu aſſumpto appellari non poſſe; ſed ejus ſententiæ omnino  
eſſe ſtandum: quod & ſcopo introductorum arbitrorum  
omnino conſonum apparet: nimirum, ut ope arbitrorum li-  
tes citius ac minoribus expenſis terminentur, & à forenſi ſtre-  
pitu tandem ipſi litigantes eximantur, & omnibus jurgiiſ finis  
imponatur.

XXIX. Unde deplorat Tuldenus, quod conſuetudo id  
perperam mutaverit. Moribus enim paſſim invaluit, ut ab ar-  
bitrorum ſententia provocari, ſive (ut ajunt) reduci queat,  
idque exemplo arbitratorum inductum apparet; de quibus  
legitur in L. 76. ff. Pro Socio; „quod ad boni viri Judicium  
„redigi debeat, cui nominatim perſona comprehenſa ſit, cujus  
„arbitratu fiat.

„Hodie praxis ſtatuit & ſervat (ait Rebuffus) quod ſem-  
„per recurratur ad arbitrium boni viri, ubicumque arbiter  
„iniquè arbitratus eſt. Et hoc ſive cum adjectione poenæ erat  
„electus, ſive non: & licet non ſit hodie diſſerentia in hoc Re-  
„gno, in quo paſſim recurritur ad arbitrium boni viri quo-  
„modocumque arbiter iniquè arbitratus fuerit, & ſive arbiter,  
„ſive arbitrator, ſive amicabileſ compoſitor & quocumque  
„nomine vocitatus fuerit. „Hæc ille in Tract. De Arbitris  
art. 1. gloſſ. 3. nu. 7. Quod & praxi Belgicæ conforme eſt, Zy-  
pæus in Notiâ Juris Belg. tit. De Arbitris.

XXX. Hac provocatio, quia non eſt propriè à ſententia,  
non ſolet vocari appellatio, ſed reductio, ſcilicet ad arbitrium  
boni viri; quamvis reipſa, in ſpectis hodiernis moribus, ab ap-  
pellatione vix diſſerat. Quare monet Rebuffus loco citato  
Gloſſa 8 num. 30. quod ſententiæ Arbitri pendente reductione  
maneant omnino in ſuſpenſo & ſine executione, æquè ac ſen-  
tentiæ Judicis pendente appellatione: quia (ait) hæc reductio  
vim habet ſuſpenſivam, ſicut appellatio.

XXXI. Quare etiam, ſicuti moribus noſtris à quacumque  
ſententia judiciali, quantumvis nulliter lata, debet provideri  
per appellationem, neque inſirmari poteſt per viam (ut ajunt)  
nullitatis; ita quoque obcinuit, ut ſimili modo per reductio-  
nem debeat inſirmari ſententiæ arbitralis, quamvis nulliter lata;  
ut obſervat Antonius Faber loco citato Definit. 6. Eadem  
ratione Rebuffus in tractatu De Arbitris art. 1. gloſſ. 8. poſt-  
quam num. 28. dixiſſet, in Rota aliquando dubitatum, an in  
cauſa reductionis ad arbitrium boni viri ſit lis conteſtanda,  
quia per officium Judicii imploratur, mox tamen dicit nu. 29.  
„In Francia tamen hæc dubitatio non fit, quia per appellatio-  
„nem reſcurſus ſit, & omnia quæ in cauſa appellationis requi-  
„runtur, & in hoc reſcurſu ſervari ſolent.

XXXII. Hæc reductio in Gallia fit ad Judicem Ordina-  
rium, id eſt, eum in cujus territorio pars habet domicilium; &  
ſic ſic regulariter erit Judex, qui in cauſa fuiſſet Judex ſine com-  
promiſſo. Latè Rebuffus loco citato gloſſ. 10.

Idiſum in Germania obtinere teſtantur Gail lib. 1. obſ.  
149. & Mynſingerus Cent. 2. aſſert. 61.

In Brabantia reductio fieri ſolet immediate ad ſupre-  
mum

mum Senatam, uti notat Zypaeus in Notitia Juris Belgici tit. De Arbitris: refertque Hubertus Loyens in Tractatu De Curia Brabantiae cap. 15. inter causas de quibus Senatus Brabantiae est iudex, reductionem à laudo arbitratorum, dicens: „ Ad cognitionem Senatus jure quoque „ pertinet omnis reductio à sententia Arbitri, ad arbitrium „ boni viri.

Ex Ordinationibus tamen hujus Curiae art. 487. potest reductionis causa committi Judicibus Ordinariis, ubi expedire videbitur. Verba articuli sunt: De Materien van reductien sullen by onsen Raede ten Landrecht moghen gecommittet worden, als sy bevonden sullen soote behooren. Id est: Reductionem causae poterunt senatus nostro in Patrio tribunali committi cum sic expedire videbitur.

XXXIII. Dum reductio sit quaedam species appellationis, ex communi Interpretum opinione debet fieri intra decem dies adinstar appellationis; uti notat Damhouderus in Praxi Rerum civil. cap. 213. & ita servari in Francia dicit Rebuffus loco citato gloss. 8. num. 6. Unà tamen monens, quod si dolo, vel per fordes quis praetendat se enormiter laesum, possit intra 10. annos impetrare litteras Regiae restitutionis; quemadmodum in aliis contractibus id licet.

XXXIV. Ex Ordinationibus Curiae Brabantiae art. 488. reductio ad hanc Curiam effectum suspensivum non habet, nisi facta sit intra 20. dies à latâ sententia arbitrari: post annum verò nulla reductio admittenda. Dar egeen materien van reductien effect van suspensie hebben en sullen, ten sy dat die reductie versocht is binnen vovintigh daghen naer d' uytpracke gedaen, ende egeen reductien en sullen ontfangen, ofte geadmittet worden naer den jaere dat d' uytpracke gedaen sal syn. Id est: Ut nulla reductionis causa suspensionis effectum sortiatur, nisi dicta reductio intra vigesimum à prolata sententia diem impetretur. Elapsò verò post sententiam anno, nulla re-

ductio recipi aut admitti poterit.

XXXV. Ut reductio fiat, debet per libellum à Curia facultas reducendi impetrari; quod & innuit citatus articulus Ordinationum Curiae Brabantiae, dum dicit reductionem non habere effectum suspensivum, nisi petita sit intra 20. dies Die reductie versocht is.

XXXVI. Conqueritur Buius, ad Legem primam De Arbitris, quod malo more eadem reductio in nonnullis Belgicis Curias facile & plerumque sine ulteriori causae cognitione concedatur. Et sane etiam concedi solet, tamen si compromisso adjecta sit, & reductio expressè renuntiatum sit: nam & adversus hanc renuntiationem restitutio datur, & reductio admittitur; uti latè deducit Rebuffus loco citato Glossa 5. § 8. ibi notans, omnes penè cautelas, quae pro roboratione arbitratorum fuere jam pridem observatae, amplius non valere. Adeo ut hodie vis arbitratorum penè totaliter sit enervata: ipsaque compromissa magis ad augendas quam extinguendas lites hodie servire videantur: Cum tamen teste Jurisconsulto in L. 37. ff. eod. non differendarum litium causa, sed tolendarum ad Arbitros eatur.

XXXVII. Ad haec finalia verba reflectens Mornacius ad L. 36. ff. De Receptis qui Arbitrium &c. ait: „Notandus „ textus. Sed quia nec satis arcum arbitralis sententiae vinculum esse compertum est ex quotidianis experimentis, inventa est & haec alia ratio tollendarum litium: nempe ut statim atque terminata sunt negotia ab Arbitris, Litigantes coram eis transigant apud tabelliones, id est, & contestationes quae factae ab iis fuerunt, & iudicium quod ab Arbitris latum est, transactionis obice perpetuo muniant, nihilque amplius pateat, tantillumve emineat, praeter contractum quem omnium esse fortissimum ideo voluit constitutio Regia anni 1561.

Et ne adversus transactionem forsitan restitutio petatur ex capite praetensa Lætionis; atque hinc rursus litibus initium detur, solet transactionis confirmatio à Sepatu peti.

TITULUS VI. De Ministris Curiae Ecclesiasticae.

CAPUT I.

De Assessore.

1 Hodie Officialii seu Ministri curiae Ecclesiasticae demum instituti coeperunt quando in forum Ecclesiasticum intravit status fori civilis.  
2 Origo & constitutio horum Ministrorum potissimum ex Jure Civili petenda.  
3 Officium Assessoris jam pridem apud Romanos notum fuit & unde nomen Assessoris.  
4 Assessores etiam dicti fuerunt Consiliarii.  
5 Apud Romanos Magistratus Assessores utebantur.  
6 Error in iudicando cur. Assessoribus, non Magistratibus imputaretur.  
7 Assessores reputabantur quasi iudices & ideo multis privilegiis gaudebant.  
8 Erant immunes à tutelis & onere indictionis.  
9 Si absentes lesi essent restituebantur in integrum.  
10 Assessores apud Romanos accipiebant salaria sua ex publico.  
11 Olim omnes majores Magistratus sibi Assessores assumere poterant, hodie solum Principes supremi.  
12 Hodie Assessores Principum constituunt parlamenta & Concilia eorum.  
13 Inferiores Magistratus habere solent suos Secretarios vel Grapharios vices assessorum supplentes.  
14 Praeter hos officios consulerent consueverunt Advocatos, qui locum assessorum supplunt.  
15 Numquam Magistratus tenentur iudicium istorum Advocatorum in pronuntianda sententia sequi.  
16 Exemplo Magistratum Civitatum Judices Ecclesiastici coeperunt Assessores sibi assumere.  
17 Saeculo 13. moris fuisse assumere Advocatos in Assessores in Curias Ecclesiasticas probat Synodus Cantuariensis.

18 Nonnulli Judices Ecclesiastici in gravamen partium sine causa assumebant assessores.  
19 Decretum Bonifacii VIII. occasione hujus abusus evulgatum.  
20 Quis dicatur Assessor in hoc Decreto Bonifacii.  
21 Bonifacius verat assumi Assesorem à iudice nisi eo indigeat.  
22 Potest tamen semper assumere modo id fiat sine gravamine partis.  
23 Quandam iudex censetur fraudulenter assumere Assesorem ex mente Bonifacii.  
24 Potest assumere iudex si indigeat Assesorem etiam cum gravamine partis.  
25 Hodie Judices Ecclesiastici qui non sunt professione jurisperiti solum Assessores assumere.  
26 Ex Constitutione Leonis X. Judices in neutro iurium graduati tenentur Assesorem assumere una etiam parte tantum requirente.  
27 Iudex licet professione jurisperitus & in jure graduatus potest Assesorem ad gravamen partis assumere si eo indigeat.  
28 An iudex indigeat vel non, Bonifacius relinquit conscientiae ipsius iudicis.  
29 Unde hodie Judices de causa assumendi Assesorem nulli nisi sibi Deo rationem reddere debent.  
30 Iudex delegatus ob suam insufficientiam hodie non potest recusari.  
31 Potest recusari Assessor tamquam suspectus.  
32 Permittit Bonifacius iudici ut Assessori competens salarium ad onus partium assignet.  
33 Quae de jure in assignatione salarii consideranda?  
34 Quid hodie obtineat circa salarium Assessorum, qui in Assesores assumuntur vel pro iudice consulantur.  
35 In Curias Ecclesiasticas iura Assessoris solent esse taxata.  
36 Interdum Assessor recipit iura iudicis nullo honorario iudicis relicto.  
37 Convenit ut Iudex per se examini causa intersit, tamen si Assessor utatur.

I. Dum



Um circa saeculum 12. coeperunt in tribunalibus Ecclesiasticis causae more & stylo forensi instrui, & secundum legum etiam Civilium rigorem examinari & decidi, unà in his tribunalibus invalere Officiarii & Ministri fori Civilis; atque ad exemplum Officiatorum & Ministrorum jurisdictionis civilis iidem penè legibus instituti & ordinari, uti rectè notavit Carolus Loyseau tractatu De Officiis lib. 5. cap. 6. n. 33. dicens vice fundamenti in hac materiam tendendum esse, quod officia fori Ecclesiastici iidem iuribus & regulis regantur quibus Officia saecularia: Aussi il faut tenir (ait) pour maxime, que les Offices de la justice Ecclesiastique gardent & retiennent le mesme droit, & les mesmes regles de la justice temporelle. Id est: Unde tanquam axioma habeatur quod officia fori Ecclesiastici, idem jus eademque regulas cum foro saeculari observent & teneant.

II. Unde si quis noscere velit Ministrorum seu Officiatorum Curiae Ecclesiasticae originem & naturam, quin & eorum munus & Officium, nec non regulas quae observare debent, eam noticiam ex jure Civili fere haurire debebit; atque investigare, quae fuerint aut sint hujusmodi ministrorum apud Civiles Magistratus munia & leges. Atque hinc facile quoque intelliget, ex foro Civili in forum Ecclesiasticum hanc esse introducta, postquam hoc forum ad normam istius regi coepit, & causae ad praescriptum non tantum Canonum, sed & ipsarum legum Civilium instrui & decidi.

III. Notum jam pridem fuit officium Assessorum; ita dicitur, quod Magistratibus adidere in causarum examine & decisione solent. „Omne officium Assessoris, quo Juris „ studio partibus suis funguntur, in his ferè partibus constat, „ in cognitionibus, postulationibus, libellis, edictis, decretis, „ epistolis, „ inquit Paulus Jurisconsultus in L. 1. ff. De Officio Assessorum.

IV. Dicuntur & Consiliarii, utpote qui consiliis propriis Magistratus in decidendis & tractandis causis juvare debebant L. 7. Cod. eod.

V. Licet enim jure Romanorum Judices legum peritiam habere debeant, atque munus iudicandi per se obire teneantur Novellâ 60. § 82. tamen Magistratus hac scientiâ non debebant esse instructi; uti ipse etiam Justinianus indicat in dicta Novella 82. cap. 2. & manifestè supponit L. 2. ff. Quod quisque juris in alterum statuerit &c. ubi dicitur: „Si Assessoris „ lotis imprudentiâ jus aliter dictum sit, quam oportuit, non „ debet hoc Magistratui officere, sed ipsi Assessoris.

VI. Cur non debeat Magistratui officere, rationem allegat ibidem ex Cajacio lib. 23. Observat. 40. Dionysius Gothofredus: „Assessor pro Jurisperito agit & scientiam juris praestare debet: Prator vel Praeses non item. Et plerumque nec Jurisperitus est, sed vir militaris ex nobilitate quadam familia, qui arma potius callet, quam leges; quod & hodie in iis qui Ballivi, sive Seneschalli, dicuntur, usû venit.

Idipsum jam pridem observavit Theodorius Balsamon ad Can. 15. Carthagenensem, dicens: „Magistratus seu qui praenuntiat iudicibus, non coguntur leges exactè scire, ut qui in multis aliis magnis occupationibus versentur; & propterea si per imperitiam sententiam ferant, eis venia datur. Eorum Assessores, si contra leges ferant sententiam, puniuntur. Dicit enim lex in lib. 7. tit. 3. cap. 24. Dolum Magistratus requirimus. Si enim per imperitiam Assessoris aliter iudicatum fuerit, non facit injuriam Praeses seu Magistratus, sed qui ei fert auxilium. Et est probabilis quidem ratio. Magistratus enim propter eam quae dicta est causam, non insimulantur: Iudices autem, quorum est proprium munus iudicare, si contra leges fecerint, tenentur ac si dolo fecissent, secundum legem quae dicit; Imperitia negligentiae aequiparatur; & rursus. Dolum quis facit qui perfectè nescit quod se scire profitetur.

VII. Assessorum illorum non exigua erat apud Romanos, dignitas; multisque erant privilegiis decorati. Cum enim eorum consiliis omnia apud majores Magistratus agerentur, quasi Judices & Magistratus erant; hincque administrantium Provincias socii atque participes, & quadam univocis quoque porio videri dicuntur in L. OMNIS Cod. Theod. De iis quae administrantibus &c.

VIII. Et quidem Assessores tamquam qui vices Judicium subirent, ipsisque Provinciarum Praesidibus & Magistratibus assisterent suis consiliis continuo, immunes erant à tutelis, & ab omni indictionis onere, non solum dum in officio erant, sed & eo deposito. L. 11. ff. De Officio Assessorum.

IX. Similiter si dum hujus officii causâ in Provinciae agerent & à patria abessent, interea in aliquo laesi essent, damnumve in Patria accepissent, restituebantur in integrum L. 37. § 38. ff. Ex quibus causis majores &c. quia Republicae causa ab eis celebentur.

X. Et quod amplius est, ipsi Assessores non secus ac ipsi Magistratus salaria sua ex publico accipiebant L. 4. ff. eod. Unde & titulus Codicis De Annonis & capitatione Administrantium vel ASSESSORUM &c.

XI. Olim major quivis Magistratus sibi Assessores adoptabat, ut Praefectus Praetorio, Praeses, Proconsul, Prator, publico eis constituto salario L. 11. Cod. Assessoribus. Hodie solum Principes, & qui Provinciae praesunt, & liberae civitates eos assumunt in consilium, ait Antonius Perezus ad tit. Codicis De Assessoribus num. 1.

XII. Hi hodie dicuntur Consiliarii Principis; constituuntque ipsa hodierna Principum Parlamenta & concilia, quae etiam tanquam Principum Assessores, omnia sua publicant & enuntiant sub nomine Principis; iploque Principis sigillo utuntur.

XIII. Inferiores Magistratus hodie suos habere solent Secretarios vel Grapharios (de quibus infra) qui plerumque sunt Jurisperiti, & in negotiis forensibus aliquatenus instructi. Hi tanquam quidam Magistratum Assessores causis instruendis & agendis ac decidendis Magistratibus assistere consueverunt: praesertim quia cum hi Officiarii perpetui sint, Magistratus autem ferè ubique temporales, in negotiis instructiores esse solent. Quare & omnibus sat persuasum est, à capacitate & diligentia hujusmodi Officiatorum bonum regimen & causarum justam directionem plurimum dependere.

XIV. Praeter hos Officiatos, quorum consilio passim Magistratus utuntur in negotiis dirigendis, & causis instruendis, consilere quoque consueverunt Advocatos seu Jurisperitos, qui iis in causis vicem Assessorum supplunt; utpote, qui in iudicando suis consiliis quasi adsident, quidve edicere, aut pronuntiare debeant praescribunt. Unde Advocati qui à Magistratibus super decisionibus causarum consuluntur, vulgo dicuntur consulerent pro iudice; quod consilia ipsorum sint adinstar iudiciorum.

XV. Licet enim tales Advocati nullam habeant jurisdictionem; neque sententiam suo nomine proferre queant, nihilominus his Advocatis potiori jure ipsa sententia adscribenda, quam Magistratibus, quia Magistratus, qui frequentius juris scientiâ non sunt instructi, iudicium Advocatorum illorum sequuntur. Imò ex Edicto de an. 1693. tenentur Magistratibus subalterni in Brabantia ex sententia Advocatorum pronuntiare.

XVI. Exemplo Magistratum civilium coeperunt & ipsi Praelati, quibus jure ordinario, vel delegato iudicandi auctoritas competeat in causis tractandis & decidendis Assessores adsciscere; praesertim postquam causae Ecclesiasticae tractari inceptum more forensi; atque non amplius ex aequo & bono more arbitratorum, sed ex rigore juris in foro Ecclesiastico procedi consuetum fuit. Sapius enim contingebat, ipsos Praelatos, aliove quibus auctoritas iudicandi vel jure proprio, vel delegato competeat, scientiâ illâ forensi aut parum esse instructos; aut aliis majoribus & gravioribus negotiis occupari, quominus forensibus illis quae multum saepe temporis requirunt, implicari possent aut conveniret.

XVII. Saeculo 13. moris fuisse, ut in tribunalibus Ecclesiasticis assumerentur Advocati in Assessores patet ex Synodo Cantuariensi anno 1265. Can. 27. ubi dicitur: „Ad Advocatorum consilium in interloquutoris, & sententia

Q999